

bestias (*l. 9. 10. ff. ad L. Jul. peculat. l. 10. cum seq. auth. C. de Episc. et cler.*) Ex Const. Carol. art. 172. hierothecam cum sacra hostia aufrens jubetur comburi vivus: calicem, patenam vel aliud vas sacrum surripiens, præsertim cum effractione, supplicio capitis: alias res sacras, ut candelabra, mappas, aut similia interdù et sine fractione tollens, pœna furti profani coercetur; Reiff.—De jure Can. incendiarii et violatores Ecclesiarum ipso facto excommunicantur, dummodò copulative adsit effractio et spoliatio (*Can. 107. Canonica 11. q. 3. et Can. 5. 21. §. siquis 17. q. 3. et c. 19. et 22. de sent. excom.*), quæ excommunicatio post denunciationem est reservata Papæ.

Ex Const. Benedicti XIV. *Ab augustissimo*, 5. Martii 1744. surripientes, asportantes aut apud se retinentes hostias vel particulas consecratas, seculari Curia tradendi sunt, prævia degradatione, si sint ecclesiastici; etiamsi juxtà Constit. Innoc. XI. quarto idus Martii 1676, hoc scelus pro prima vice perpetraverint, et minores sint annis 25, dummodò vigesimum attigerint, rejectis exceptionibus à reis dari solitis, vel quòd non satis constet de earumdem particularum consecratione, vel quòd non fuerint subreptæ, asportatæ vel respectivè retentæ ad malum finem: quarum exceptionum claram et conclusivam probationem ad eosdem reos et non ad fiscum spectare decernitur.

Alii fures, qui citra effractionem furantur, v. g. calicem ex Ecclesia, excommunicari debent (*cap. fin. de furt. c. 16. de for. compet.*). Si satisfacere nolint, non sunt absolvendi, nec in loco sacro sepeliendi: si verò ante mortem velint, sed non possint satisfacere, contritis Viaticum datur, sed eorum sepulturæ clerici interesse prohibentur sub amissione beneficii (*c. 2. h. t.*)

3.^o Violatores sepulchri civiliter conveniuntur ad interesse: et si dominus sepulchri agere nolit, quilibet alius admittitur ad pœnam 100 aureorum (*l. 3. §. 8. ff. de sepulchro violat.*) Est ergò actio ista popularis, et ex dolo famosa (*cit. l. 3. pr.*)—II. Armata manu cadavera spoliantes, vel ipsa corpora aut ossa temerè extrahentes, pœna capitis plectuntur (*l. 3. §. 7. et l. fin. eod.*): habitantes verò in sepulchris actione 200 aureorum, et in civitate sepulchrum facientes pœna 40 aur. ex edicto Adriani puniuntur (*l. 3. pr. et §. 5. eod.*), quæ jura hodie vix sunt in usu.—III. Creditores, qui cadaver defuncti sepulturæ tradi prohibent, æquiparantur violatoribus sepulchrorum, et 50 libris auri mulctantur (*l. fin. C. de sepulchr. viol.*): imò tenentur lege julia de vi publica (*l. 8. ff. eod.*) Jure novo creditores isti debitum amittunt, alterum tantum hæredibus defuncti præstant, et tertia pars bonorum illorum publicatur: qua pœna tenentur et illi creditores, qui moribundi ædes ingressi, omnia sigillant. *Auth. item, Auth. sed neque, C. de sepulchro violat.*, ubi cetera legere poteris.

TITULUS XVIII.

DE FURTIS. ^a

111. *Nota I.* Furtum dici à *ferendo*, vel à *furro* seu nigro; quia plerùmque patratur in obscuro. *Furtum* propriè quoad rem est: contractatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve (§. 1. *Inst. de oblig. ex delict. l. 1. in fin. ff. h. t.*): seu, ut definiunt TT. cum S.D. 2. 2. q. 66. ar. 3. est: occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

Nota II. Furtum variè dividi:—1.^o In *simplex*, cui non admisceatur aliqua qualitas notabiliter aggravans vel mutans speciem: et *qualificatum*, cui similis qualitas admisceatur, ut vis, effractio violenta, tela, arma etc.—2.^o In *parvum*, quod est infra 5 solidos: et *magnum*, quod adæquat vel excedit 5 solidos seu aureos hungaricos, ut communis interpretatur.—Utrumque hoc potest esse vel *primum* vel *iteratum*, *diurnum* vel *nocturnum*: *domesticum*, quod fit ab uxore, liberis et familia: vel *extraneum*, quod fit à peregrinis seu ab aliis extra familiam.—3.^o Ex parte materiæ in *furtum rei*, dum ipsa res mobilis aufertur: *furtum usus*, dum quis contra voluntatem domini re utitur, vel aliter quam ut deberet: ut si depositarius vel creditor utatur re deposita vel pignorata; vel commodatarius, cui usus equi concessus est ad unum milliare, illo utatur ad duo vel plura milliaria contra voluntatem domini: et *furtum possessionis*, dum quis possessionem solam, alteri competentem eo invito aufert: ut si debitor rem pignoratam auferat occultè à creditore: quo casu privat illum possessione talis rei. Divisio ista traditur in jure in definitione suprâ allata.—4.^o In *manifestum*, dum fur deprehenditur in ipso crimine, antequam perveniat ad locum, ubi rem furtivam deponere intendit; sive deinde deprehendatur à domino, sive ab alio, sive in actu flagranti, sive in itinere, sive in loco publico, sive privato, sive attineatur, sive tantum videatur et inclametur: et *nec manifestum*, dum fur ità non deprehenditur, nisi postquam rem deposuit in loco destinato. Hodie divisio ista parùm attenditur, cum plerùmque ex furto agatur criminaliter; Manz. 5.—Olim furtum erat quadruplex: *conceptum* seu simul captum, dum apud aliquem res furtiva reperta fuit, et contra hunc dabatur *actio furti concepti*; quia particeps fuit furti: sicut hodie adhuc puniuntur recepta-

^a—Agitur de hac materia in Institut. lib. 4. tit. 1.—In Pandectis lib. 47. tit. 2. et seqq.—In Codice lib. 9. tit. 27. et seqq., et lib. 6. tit. 2.

tores furum (*tit. ff. de recept.*) Oblatum, dum res furtiva à fure vel emptore mihi oblata fuit, ut apud me potiùs, quàm alium reperiretur. Jam si apud me res inventa fuit, ego condemnatus fui, sed contra offerentem dabatur mihi *actio oblata* ad simplum rei et triplum pœnæ. *Prohibitum*, dum quis prohibuit quærere furem, atque ita contra illum, velut suspectum de furto, dabatur *actio prohibiti*. *Non exhibitum*, dum quis rem furtivam apud se repertam petenti exhibere noluit: et contra hunc competebat *actio furti non exhibitæ*. Divisionem istam sustulit Imp. §. 4. *In. de oblig. ex delict.*, cum desiverit esse in usu. Hodie scienter recipientes et celantes rem furtivam, tenentur actione furti nec manifesti (*ibid.* et l. 14. *C. h. t.*): celantes verò furem, pœna receptatorum puniendi sunt (l. 48. §. *qui furem. ff. h. t.* in 6.) Furtum latius acceptum dividitur in varias species: ut sacrilegium, abigeatum, peculatum etc., quas in fine *h. t.* ex jure civili afferam.

§. I.

De Furto simplici.

112. Q. I. Quando, et à quibus personis committatur furtum?

R. I. Ad furtum requiritur:—I. *Res aliena* quoad substantiam, vel usum, vel possessionem, quia rei suæ furtum non datur, nisi in foro poli, si quis fraudulentò animo contrectaret rem suam, quam putat esse alienam.—II. *Res mobilis corporalis*; quia res immobiles et incorporales, auferri non possunt.—III. Ut fraudulentè contractetur *lucri faciendi causa*; nam si contractetur sine lucrando animo, v. g. ut res corrumpatur aut deterioretur non fit furtum, sed damnum ex L. Aquilia compensandum.—IV. Ut contrectatio ista fiat, *rationabiliter invito domino*. Unde qui consentiente, vel vidente domino et non contradicente, cum facile contradicere posset, rem illius accipit, non est fur; quia dominus non censetur invitus, nisi aliud ex circumstantiis colligatur (§. 8. *Inst. de oblig. ex delict. l. 91. ff.* et l. 20. *C. h. t.*) Similiter, qui in extrema necessitate aliquid accipit, non committit furtum; quia dominus non potest esse rationabiliter invitus, cum tali casu omnia sint communia. At in necessitate communi, quam mendici et pauperes patiuntur, et in necessitate gravi non licet alienum accipere; et oppositam propos. n. 36. damnavit Inn. XI.

2.º Reus furti est omnis ille, qui alienum accipit aut detinet causa lucri, invito domino:—I. Filiusf. et servus (§. 12. *Inst. de oblig. ex delicto, l. 17. ff. h. t.*), quia in hoc casu non sunt eadem persona cum patre et domino; cum furari non sit effectus patriæ aut dominicæ potestatis. Actio tamen furti non datur contra filium et servum proprium; quia inter patrem et filiumf., dominum et servum nulla actio nasci potest,

ibid.—II. Uxor aliquid surripiens de rebus mariti, licet propter conjunctionem maritalem non detur contra illam actio famosa *furti*, sed actio *rerum amotarum* (l. 52. *ff. l. 22. §. 4. C. h. t.* et *tit. ff. rer. amotar.*)—III. Creditor, depositarius, commodatarius, si re aliter utantur, quàm sit à domino concessum (l. 40. 54. *ff. h. t.*), et econtra ipse dominus est fur, si clam dolosè auferat pignus creditori, vel rem usuario, aut fructuario ad usum, vel usumfructum datam (§. 14. *Inst. de oblig. ex del. l. 12. §. 2. ff. h. t.*)—IV. Qui furto cooperantur, ut mandantes, consulentes, auxilium præstantes, imò et recipientes et occultantes furem cum rebus furtivis (§. 11. *Inst. de oblig. ex delict. l. 48. §. 1. et l. 56. §. 1. h. t.*), et scienter ementes rem furtivam à fure (*arg. l. 2. 5. C. h. t.*)—V. Inventor et detentor rei alienæ, si diligenter non inquirat in dominum (l. 43. §. 4. *ff. h. t. Can. 6. siquid l. 4. q. 5.*) Sed si post debitam diligentiam non reperiatur dominus, res profana licitè, juxta aliquos, retinetur, licet securius sit eam in opera pia distrahere (l. 43. §. 3. *ff. h. t. l. 1. 2. ff. pro derel.*); res verò sacra prælato Ecclesiæ tradenda est.—VI. Religiosus vel prælatus surripiens aliquid ex rebus monasterii peccat non tantum contra paupertatem, sed etiam contra justitiam; adeoque reus est furti. Similiter si prælatus aliter dispenset, vel aliter utatur rebus monasterii, quam sibi regula permittat, furtum committit, sicut quicumque alii administratores (*S. D. 2. 2. q. 32. ar. 8.*); nam prælati non sunt domini, sed administratores (*c. 2. de donat.*); neque bona monasterii dicuntur esse *communìa* eo sensu, quòd sub nullius dominio sint, vel quòd per occupationem acquiri possint à religioso vel prælato; sed dicuntur *communìa*, quia ipsa communitas est persona ficta et domina talium bonorum, sicut hæreditas jacens (l. 61. *pr. ff. de A. R. D.*); ac proinde jus communitatis læditur per iniquam talium bonorum usurpationem.—VII. Jure Can. quasi furtum et rapinam committit, qui beneficium Ecclesiasticum occupat sine Canonica institutione (*Can. 10. non furem 7. q. 1. Can. 18. de restit. spoliat.*)

3.º Reus furti non est:—I. Creditor, qui non valens suum debitum recuperare, occulta utitur compensatione, concurrentibus aliis conditionibus, ut aliàs dixi.—II. Qui non manifestat furem, nisi ex officio suo ad id teneatur (l. 48. §. 1. *f. h. t.*), vel nisi simul esset particeps rei furtivæ (*c. 4. h. t.*)—III. Qui bona fide accipit vel detinet alienum, putans esse suum, cum desit fraudulenta contrectatio.—IV. Qui domino expressè vel tacitè consentiente, rem illius aufert. Is tamen, qui incitavit servum ad aliquid domino furandum, etsi dominus consentiat ad rei ablationem, tenetur actione furti et servi corrupti (§. 8. *v. unde, Inst. de oblig. ex del. l. 20 C. h. t.*), quia consilium fuit perniciosum, licet per accidens impeditum.

113. Q. II. Quæ, et cui dentur actiones contra fures?

R. 1.º Si ex furto agatur civiliter, quatuor dantur actiones:—I. Ad *exhibendum*, quæ est præparatoria ad vindicationem.—II. *Reivindicatio* ad rem suam repetendam.—III. *Condictio furtiva* in odium furum in-

troducta, qua petitur res, vel aestimatio rei, et totum interesse à fure, ac si iste factus fuisset dominus rei furtivæ: et hæ actiones sunt rei persecutoriæ.—IV. *Actio famosa furti*; et quidem, in quadruplum, si furtum fuit manifestum: in duplum verò pœnæ, si furtum fuit nec manifestum: et hæc est pœnalis seu pœna persecutoria. Hodie tamen, cum fures plerumque sint pauperes, cessat pœna quadrupli aut dupli, et in ejus locum succedit pœna corporalis. Ratio horum est, quia in fure datur obligatio rem furtivam exhibendi et restituendi; vel si res ipsa reddi nequeat, præstandi aestimationem rei cum reparatione lucri cessantis, aut damni emergentis: et ob hoc delictum datur obligatio subeundi pœnam; ergò rectè assignantur quatuor istæ actiones contra furem.

2.º Reivindicatio et condictio furtiva competit soli domino; ejusque hæredibus contra furem, ejusque hæredes et furti participes (l. 14. §. 16. ff. h. t.): si plures sint fures, singuli tenentur in solidum: uno autem satisfaciente, ceteri liberantur (l. 1. C. de condict. furtiv.); et hæc est *condictio certi*, qua res ipsa, vel certa ejus aestimatio petitur. At *condictio incerti*, qua petitur usus, ususfructus, possessio et omne, quod interest, competit etiam aliis, quorum interest rem non fuisse subreptam; ut usuario, fructuario, si fructus maturi sublatis sunt, creditori; si pignus ei ablatum sit, commodatario, conductori (l. 12. §. fin. ff. de condict. furtiv. l. fin. §. 3. C. h. tit.).—II. Actio furti conceditur non tantum domino, sed omni illi, cujus interest rem non fuisse sublatam (§. 13. Inst. de oblig. ex del. l. 10. 11. ff. et l. fin. C. h. t.): ut creditori, de pignore surrepto, sarcinatori, cui vestis ad resarciendum data, fulloni, cui vestis ad poliendum tradita furto sublata est, si uterque est solvendo, commodatario, si dominus actione furti experiri nolit: non tamen depositario, nisi forsitan ex culpa lata depositum ablatum fuisset; tunc enim depositarius conventus regressum habet contra furem, cum in hoc casu culpa lata non æquiparetur dolo, ob quem actio furti non conceditur depositario (l. 14. §. 3. ff. h. t. arg. l. 9. §. fin. ff. ad L. Aq. et §. 13. cum seqq. Inst. de oblig. ex delict.).

3.º Si ex furto agatur criminaliter, actio furti est popularis cuiuslibet ex populo competens, ad hoc, ut fur puniatur ad vindictam publicam. Pœna autem furis pro qualitate delicti de jure antiquo fuit verberatio, mulcta pecuniaria fisco applicanda, relegatio, deportatio; non tamen pœna mortis (l. fin. ff. h. t. Auth. sed. novo C. de servo. fugil. Nov. 134. c. 13. v. pro furto.) Crescente audacia furum, constituta est pœna mortis; quæ tamen regulariter non infligitur pro primo furto simplici, sed pro tertio; nisi consuetudo aliud habeat, vel primum furtum sit nimis grave, periculosum seu qualificatum (lib. 2. F. tit. 27. §. fin. et Const. Carl. art. 159. et seqq.) De his pœnis pro praxi consule Criminalistas, Carpz., Blar., Farin., Mascard etc. Ceterum licet etiam pro re parva moveri possit actio furti criminaliter, utpotè remedium ordinarium (l. 21. ff. h. t. et §. 16. Inst. de rer. divers.), ubi auferens gallinam, dicitur furtum facere, probabilius tamen et benignius est,

pro tribus furtis non adæquantibus quinque solidos, non posse decerni pœnam mortis, quia in Const. Carl. art. 161. statuitur, ut habeatur ratio quantitatis ablatæ, et non solius numeri furtorum.

4.º De jure Can. pro foro interno fur ante ullam sententiam obligatur ad restitutionem rei ablatæ et detentæ, et reparationem damnorum inde secutorum: et quidem suis sumptibus, cum injustè damnificaverit dominum rei. Hæc obligatio in furto gravi est sub mortali; in furto levi sub veniali. Quæ autem quantitas requiratur et sufficiat ad constituendum peccatum mortale, mathematicè definiri non potest; sed id ex circumstantiis et conditione personarum desumi debet: et quidem, duo vel tres aurei à ditissimo et potentissimo Rege et principe ablati sufficiunt ad mortale; quia quantitas ista gravis reputatur, quam etiam princeps non præsumitur velle jactare (l. 9. cum seq. ff. de dolo malo.) Duo vel tres nostri floreni ab homine valdè divite, à ceteris verò civibus tantum sublatum, quantum eis sufficeret in victu unius diei; ab operario duo vel tres grossi, à mendico pauci nummi sunt materia sufficiens constituendi mortale; nam jacturam istam domini graviter ferunt. Plura de his vide in TT. Moralib.—II. In foro externo fur condemnatus fit infamis, et consequenter irregularis (Can. 27. infames, 6. q. 1.); occultus verò, peracta pœnitentia, admitti potest ad ordines.—III. Fures excommunicari solent, præsertim ad finem revelationis: ut si intra certum præfixum tempus non restituant; vel qui sciunt, non revelent furem, sint hoc ipso excommunicati (Trid. sess. 25. c. 3. de reform.) Hac tamen excommunicatione non teneretur is, qui in extrema necessitate rem abstulit et consumpsit; quia probabilius non tenetur ad restitutionem.—IV. Clericus in notabili furto, vel iterato convictus, deponitur ab ordine et officio (Can. 12. d. 81.); et si incorrigibilis sit, traditur curiæ seculari (c. 10. de judic.)

§. II.

Varia species furtorum ex lib. 47. et 48. ff. et lib. 9. Codicis.

114. I. *Crimen tigni juncti* est, dum quis ex alieno tigno, hoc est, ex aliena materia ædificat: ut si pro ædificio adhibeat alienos lapides, calcem, arenam, trabes etc.: hæc enim omnia intelliguntur nomine tigni (§. 29. Inst. de R. D.) Qui ergò scienter et mala fide junxit tignum alienum, tenetur actione in duplum et insuper actione ad exhibendum, et reivindicacione, quasi dolo possidere desiisset. Hac tamen vindicatione non agitur, ut tignum exhibeatur et restituatur, quia lex XII Tab. ædificia solvi prohibuit, sed ut pretium rei solvatur. Qui verò bona fide junxit tignum furtivum, tenetur solum actione du-

pli; qua probabiliter etiam tenetur, qui bona fide junxit tignum alienum non furtivum; quia alterum simplum non est pœna, sed quædam compensatio facta domino, qui cogitur carere tigno suo: ita *tit. 3. ff. de tigno juncto*, et §. 29. *Inst. de R. D.*

II. *Crimen in hæreditatem* committitur à servo, qui testamento liber esse jubetur, si quid dolo malo vel culpa lata ex hæreditate nedum adita surripiat vel corrumpat. Talis servus tenetur actione prætoris in duplum, et reivindicatione ad similitudinem furti: et [si plures servi peccarunt in hæreditatem jacentem, singuli in solidum duplum tenentur: nec unius pœna præstat alteri impunitatem: ita statuitur *tit. 4. ff. Si is, qui testamento etc.*

III. *Crimen furti adversus nautas, cauponas et stabularios.* Si alicui in navi, caupona vel stabulo furtum factum est à servis vel famulis exercitoris navis, cauponæ aut stabuli, ex furto eorum tenetur dominus, eique, cui furtum factum est, optio datur, vel agere actione prætoris contra dominum principalem, vel actione civili furti contra famulos. At si furtum factum sit ab aliis hominibus viatoribus et hospitibus, contra hos tantum agendum est, non contra dominum navis, cauponæ et stabuli; nam furtum famulorum et servorum imputatur domino, quia opera malorum hominum utitur; non verò furtum ab aliis commissum: ita hæc statuuntur *tit. 5. ff. furti adversus nautas etc.*, et §. *fn. Inst. de oblig. ex quasi del.*

IV. *Furtum à familia* seu servis commissum, ignorante domino, punitur pœna dupli præter simplum conditionis, nisi dominus malit servos noxæ dedere (*tit. 6. ff. Si familia furtum fecisse dicitur.*)

V. *Arborum furtim cæsarum* crimen committitur, dum quis clam, ignorante domino, arbores cædit, cingit seu deglabrat, aut decorticat, ex quo arbores emori solent. Variæ hic concurrunt actiones:—1.^a Actio arborum furtim cæsarum in duplum.—2.^a Actio furti, si ligna cæsa auferantur fraudulenter.—3.^a Actio Legis Aquiliæ, si adsit animus injuriandi.—4.^a Actio locati, si colonus cædat.—5.^a Actio latrocinii ad vindictam publicam, quia hi, qui arbores, et maximè vites cædunt, tanquam latrones puniendi sunt. Una ex his actionibus electa, ceteræ consumuntur, excepto eo, quod ex aliis actionibus in plus obtineri potuit. Evellens radicibus arborem, hæc actione non tenetur; benè verò ex Lege Aquilia: ita hæc omnia habentur *tit. 7. ff. arborum furtim cæsarum.*

VI. *Crimen concussionis* fit, dum quis injustum timorem incutit pecuniæ vel alterius rei extorquendæ causa. Quod ita extortum est, restitui debet, et concutiens arbitrariè punitur. Si quis minatus est alteri crimen imponere pecuniæ extorquendæ causa, publico judicio damnatur ad penam corporalem (*tit. 13. ff. de concussionem.*)

VII. *Crimen abigeatus* committitur ab eo, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahit seu abigit, et quodammodo deprædatur. *Armenta* dicuntur majora animalia; ut boves et equi, sub quibus etiam sunt jumenta, ut muli, cameli, asini. *Græ* constat minoribus pecoribus: ut

ovibus, capris, suibus, quæ gregatim pascuntur. Tunc autem quis censetur abigens, dum ex minoribus pecoribus totum gregem abigit seu surripit: putà oves saltè decem, et porcos quinque vel quatuor; vel qui hanc artem exercet sæpius, v. g. ter, quater unam aut alteram ovem, abducendo. Ex majoribus seu armentis sufficit ad abigeatum unum pecus abduxisse: non tantum ex agro, sed etiam è domo aut stabulo: si quis verò bovem in solitudine errantem abducat, fur potius est, quàm abigens. Hodie abigei poniuntur ut fures; et quidem, laqueo, si citra effractionem: gravius verò, si cum effractione abigeatum commiserunt: imò ut latrones et grassatores plectuntur, si gladio et armis abegerunt. Olim pro qualitate delicti puniebantur relegatione, gladio etc. Vide *tit. 14. ff. de Abigeis et tit. C. eod.*

VIII. *Crimen receptationis* fit, dum quis furem seu alium maleficum recepit in suo vel alieno, eumque occultat. Receptator pari pœna punitur cum malefico, quia in pari est culpa: mitius tamen, si propinquum occultavit (*tit. ff. et C. de receptatoribus.*)

IX. *Furtum balnearium* fit ab iis, qui furantur vestimenta ingressorum in balnea. Fures balnearii gravius puniuntur extra ordinem pro qualitate delicti; quia gravior pœna statuenda, ubi facilis est copia furandi (*tit. 17. ff. de furib. balnear.*)

X. *Crimen effractionis* est, dum à furibus fores et parietes violenter perfringuntur diripiendi causa. *Crimen expilationis* est, dum prædones alienas ædes aut villas expugnant et spoliant. *Effractores* et *expilatores*, cum sint atrociores fures, gravius puniuntur: hodie ultimo supplicio exasperato, uti et effractor carceris. Item pro qualitate delicti puniendi sunt *Sacularii* seu *Sacellarii*, qui artificiosè pecuniam è saccis subtrahunt. *Directarii* seu *derectarii*, aut *dietarii*, qui in alienam domum se dirigunt et ingrediuntur. *Aperturarii*, quibus nihil ita obseratum est, quod non aperiant (*tit. ff. de effractorib.*)

XI. *Crimen expilatæ hæreditatis* est, dum quid surripitur ex hæreditate jacente. Et quamvis surreptio ista theologicè sit furtum, in jure tamen civili non dicitur *furtum*, sed crimen capilatæ hæreditatis, quia non accipitur defuncto, qui non extat; nec hæredi, qui necdum adivit et apprehendit possessionem (*l. 13. ff. de acq. poss.*) Hoc crimen committitur à solis extraneis: non à cohærede, qui tenetur iudicio familiæ heriscundæ; neque ab uxore, quæ tenetur actione rerum amotarum, benè verò à vitrico vel noverca, si quid rapiant ex hæreditate privigni, aliunde quam à patre vel matre delata (*l. 2. 3. C. de crim. expil. hered.*) Punitur hoc crimen extraordinariè, hodie extraneus hæreditatem expillans, laqueum non evadet, cum per *l. 1. §. 1. ff. de effractor. expilatores* sint atrociores fures. Vide *tit. ff. et C. expilatæ hered.*

XII. *Crimen termini moti* est, dum quis dolosè terminos seu limites fundorum mutat, vel ut præcisè alteri noceat, vel ut aliquid de fundo alieno detractum suo addat. Et quidem, terminos propellens, fundi sui dilatandi causa pro qualitatæ personæ et ætatis punitur cor-

poraliter verberatione, relegatione, condemnatione ad opus publicum (l. 1. ff. de termino moto. Const. Carol. art. 114.): item tenetur ad restitutionem termini et reparationem damni illati. Si verò extraneus terminos movit, ut litem inter confinés excitaret, tenetur actione populari in 50 aureos ex L. Agraria C. Cæsaris: servus verò vel ancilla id faciens, capitali pœnæ subest ex L. Divi Nervæ, nisi dominus multam sufferre maluerit (l. fn. eod.) Actio termini moti seu legis Agrariae, utpotè ex delicto descendens, non transit contra hæredes, nisi ejusdem criminis sint rei: sed si quid ad eos pervenit, tenentur sola actione ad exhibendum, rei vindicatione vel conditione, prout res se habet l. 1. ff. de privat. delict. Vide tit. ff. de termino moto.

XIII. *Crimen repetundarum*, putà pecuniarum est, dum magistratus vel officialis publicus pecunias sordidè accipit ob judicandum vel decernendum; et generaliter ob præstandum id, quod ex officio suo præstare debet; vel contrà ob non faciendum id, quod faciendum foret. Crimen hoc ex L. Julia repetundarum, quæ voluit magistratus ab omni sorde puros esse, punitur pœna quadrupli, ità ut exacta pecunia, seu quodcumque munus in quadruplo restituatur (l. 1. C. ad L. Jul. repetundar.), donatum ex hac causa usucapi non potest: venditio, locatio ex simili causa facta pluris vel minoris, est irrita (l. 8. ff. eod.), et pro qualitate delicti reus interdum extra ordinem punitur (l. 7. in fn. ff. eod.) Movetur actio ista etiam contra dantem, cum et dare ob talem causam turpe sit; et contra hæredem intra annum, cum turpia lucra non sint imputanda hæreditati (l. 2. ff. et l. 4. C. eod.) Durante officio, non instituitur hoc iudicium, nisi contra præsides seu gubernatores provinciarum, si judicia venalia faciant (l. fn. C. eod.) Si olim etiam apud ethnicos tam detestabilis fuit acceptio pecuniæ pro exercendo actu officii publici, quanto magis cavenda erit magistratibus christianis, et præsertim Ecclesiasticis? Vide dicta lib. 1. tit. de off. Jud. Agitur de hoc crimine publico tit. ff. et C. ad L. Juliam repetundarum.

XIV. *Crimen peculatus* est, furtum pecuniæ publicæ, seu fiscalis ad rempubl. seu principem pertinentis: vel furtum rei sacræ, quod propriè dicitur sacrilegium. Si quis municipio seu civitati inferiori pecuniam surripiat, furtum est, non peculatus (l. 15. ff. de V. S. l. 81. ff. de furt.) Nomine pecuniæ venit omnis res ad ærarium principis pertinens (arg. l. 4. §. fn. ff. ad L. Jul. pecul.) Committitur hoc crimen variis modis: ut si pecunia publica principis Superiorem non recognoscentis surripiatur, vel res sacræ, quia sacræ sunt publicæ; vel si quis in talibus publicis minorem summam scripsit, vel effractis muris aut portis civitatis aliquid inde abstulit (l. 4. 10. 11. ff. eod.—2.º Iudicium peculatus est publicum ex L. Julia pecul., et si pecunia fisco incorporata fuit surrepta, est pœna pecuniaria quadrupli; alias dupli, si surrepta est pecunia fisco debita, sed non incorporata (l. 6. 13. ff. ad L. Jul. l. 7. 8. C. de jure Fisc. l. 1. C. de his, qui ex pub. rat.): altera pœna est deportatio, hodie ultimum supplicium, quo

etiam puniuntur magistratus, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, et hi, qui eis ad hoc ministerium exhibuerunt, vel pecunias ab eis subtractas scienter receperunt (§. 9. de publ. jud. l. un. C. de crim. peculat.)—3.º De jure Can. clerici, qui bona Ecclesiæ sibi appropriant vel alienant, tanquàm rei peculatus excommunicantur, nisi celeriter restituant (c. 6. de reb. Eccl. alien.), et si restituere non possint, deponuntur (Can. 35. Diaconi, 12. q. 2. Far. Vide tit. ff. ad L. Jul. peculat. et tit. C. de crim. peculat.)

XV. *Sacrilegium* est, crimen, quo res sacræ è loco sacro, vel res sacræ è non sacro, vel res non sacræ, attamen Ecclesiæ concredita, de sacro fraudulenter aufertur (Can. 21. §. similiter 17. q. 6.) Est hoc crimen mixti fori, et ex eadem L. Julia punitur extraordinariè pro qualitate furti usque ad pœnam capitis; qualis etiam est deportatio et damnatio ad metallum (§. 2. v. capitalia de publ. judic. l. 6. pr. et l. 9. ff. ad L. Jul. pecul.); hodie fures sacrilegi pro qualitate delicti puniuntur suspendio vel igne.—De jure Can. sacrilegus dare debet 30. libras purissimi auri, fit infamis, et si res Ecclesiæ non vult restituere, excommunicatur, donec se corrigat (Can. 21. indignè 12. q. 2.) Vide l. 2. 4. 5. 6. 9. ff. ad L. Jul. pecul. et de sacrilegis et de residuis.

XVI. *Crimen de residuis* est, quo tenetur magistratus, qui pecuniam publicam in certum usum destinatam retinet, neque eam fisco seu ærario infert; l. 2. 4. §. 4. ad L. Jul. pecul., ubi huic delicto, præter infamiam, dictatur pœna, ut damnatus tertia parte plus, quàm debet, fisco inferat, sive pecuniam publicam in suum usum converterit, sive non converterit in illum usum, ad quem fuit destinata. Hodie pœna est arbitraria, non verò suspendii, quia officiales publici non tam furantur, quàm perfidè agunt, et pecuniam suo periculo administrant (l. 9. §. 2. ff. eod. et l. 53. §. 1. ff. de admin. tutor., l. 6. ff. de publican. et vectib.)

XVII. *Plagium* est, crimen publicum, quo liber homo vel servus alienus furtim abducitur animo illum celandi: seu est furtum liberi hominis aut servi alieni. Plagiarii ex L. Fabia de plagiariis puniuntur pro qualitate delicti pœna pecuniaria, exilio, damnatione ad metallam; et aliquando gladio, si venditor scienter emptori scienti liberum hominem vendiderit. Vide tit. ff. C. ad L. Fabiam de plagiariis.—De jure Canon. plagiarii acriter puniendi sunt; non tamen morte, quam Ecclesiæ infligere nequit.—Nec obstat textus Erod. 21. v. 27. relatus c. 1. h. t.; nam quoad mortem corporalem hodie non tenet; benè verò quoad spiritualem, putà excommunicationem, licèt secularis iudex morte punire possit plagiarium.